



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De bonorum operum pr[a]emio & retributione 22

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

Quibus manifestè ea tantummodo temporaliū bonorum oblatio reprehenditur quæ ad Tempia, altaria, Monasteriaque extruenda: ornanda, & ditanda impenditur, ad veram autem Religionis Christi propagationem non confert, Atque ex ea superstitione, ac falsa opinione, quasi ea Deo multò magis accepta sit, quàm si in pauperes propter Dominum conferretur. Aduersarij verò dicunt Librum superstitionis damnare, quicquid ad Tempia, altaria, & monasteria extruenda, ornanda, & sustentanda erogatur. Qua verò pietate, qua conuenienti obedientia erga suum Archiepiscopum, imò qua publica honestate & probitate id ab ipsis factum sit, vnicuique Christiano in promptu est videre.

### Accusatio decima.

#### *De premio & retributione bonorum operum.*

#### CAPVT XXII.

**I**N hoc articulo dicunt Aduersarij, Christum Dominum bonis operibus credentium promittere vitam æternam, Matth. 19. & 25. & asserunt innumera esse testimonia, quæ hanc fidem confirmant, quòd Deus bona opera remuneret vita æterna.

#### *Responsio.*

**C**onsideret hæc testimonia quilibet Christianus, & deprehendet, Promissile quidem Christum Dominum omnibus iis, qui ex vera fide bona opera faciunt, quod sint in vitam & regnum Dei introituri, ac hæredaturi, quòdque ipse velit talibus vitam æternam rependere, sed tamen, ut ipsi Aduersarij latentur, ex gratuita dignatione suæ clementiæ, & per meritum Domini nostri Iesu Christi. Hoc verè Liber apertè docet, neque eum istius doctrinæ pudet, imò iubet, ut ea diligenter exerceatur & inculcetur hominibus. Quod legatur in Articulo de bonis operibus, quæstione Quarta, vbi sic habetur.

Tertiò, Mandatum Dei est, ut amplissimæ promissiones eius omnibus prædicentur, quemadmodum ait Paulus I. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est, & quæ promissionem habeat vitæ presentis & futuræ.* Et paulò post hæc verba. *Ita contra remuneratur Deus opera eorum qui poenitentiam agunt æternis pæniis.* Vnde rursus apparet quàm sine iusta causa Aduersarij Librum Reformationis insimulent. In memoratis enim verbis satis clarè expressum est, Deum opera suorum etiam in præsentis vitæ & æternæ gloria remunerari.

### Vndecima Accusatio.

#### *De Catholica Ecclesia.*

#### CAP. XXIII.

**R**IMVM omnium oppugnant descriptionem Ecclesiæ propositam in Libro Reformationis, nempe quòd visibilis Ecclesia Dei sit congregatio illorum, qui verbum Dei nobis per Christum & Apostolos commendatum veraciter credunt, & per Spiritum